



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Manuale, sev Institutio Sacerdotum, Ex Divinis Litteris Et Veterum Patrum Disciplina**

**Torres, Alfonso de  
Ingolstadii, 1604**

De patientia Sacerdotum. §. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48973)



Manfuetudo aliquando transit in defidia torporem.

- 23 MANSVETI, dum præfunt, nonnumquam vicinum, & quasi iuxta positum torporem defidia patiuntur; & plerumque, nimia resolutione lenitatis, vltra quam necesse est, vigorem distractionis emolliunt. *S. Gregor. in Pastor. p. 3. admon. 17. Adde, quæ scripsi. sup. c. 3, §. 3. de suauitate in verbis, & inf. p. 3. c. 11. Ne fit iracundus Sacerdos.*

## De Patientia Sacerdotum.

§. 11.

### SVMMARIVM.



- P**ATIENTIA quid. 6.  
 Vere patiens quis. 7. 8. 9. 10.  
 Et est vere Martyr sine ferro. 11. 12.  
 Finis patientiæ quis. 15.  
 Toleranda persecutio, & aduersitas, spe futura retributionis, exemplo Dauid, & Agricola. 1. 5. 20.  
 Et dulcedinis concordie mox futura. 17.  
 Vir patiens multa prudentia gubernatur. 2.  
 Et est melior viro forti, & expugnatore urbium. 3.  
 Et semper letus orat. 24.  
 Et omnibus virtutibus exornatur. 25.  
 Patientia omnibus exhibenda à Sacerdotibus, exemplo Domini. 4. 16. 17. 18.  
 Et qualiter. 19.  
 Suauius tolerantur iniustæ contumelie, quam iustæ. 7.  
 Et



Et corporis incommoda, quam iniuriæ. 22.

Et minoris meriti est, bonis operibus insudare, quam aduersa tolerare. 13.

Armus dexter, & pinguedo pectoris, quæ sacerdoti seruantur, quid notent. 14.

Concordia non nisi per patientiam seruat. 22.

Tumidus tumidum sedare non potest. 23.

Parua Principum peccata statim manifesta fiunt. *ibid.*

**D**IMITTITE eum, vt maledicat: Dominus enim præcepit ei vt malediceret Dauid, &c. Dimittite eum vt maledicat iuxta præceptum Domini: si forte respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna. 2. Reg. 16.

Qui patiens est, multa gubernatur prudentia. 2

*Prou. 14.*

Melior est patiens viro forti: & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. *Prou. 16.* 3

Patientes estote ad omnes. 1. *Theff. 5.* 4

Patientes estote fratres vsq; ad aduentum Domini. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum, & serotinum. Patientes estote & vos, & confirmate corda vestra. *Iacob. 5.* 5

### Patientia quid.

Idcirco possessio animæ in virtute patientiæ ponitur, quia radix omnium, custosque virtutum patientia est. Per patientiam vero possidemus animas *Luc. 21.* 6

h 5

mas



mas nostras, quia, dum nobis ipsis dominari dicimus, hoc ipsum incipimus possidere, quod tuimus. Patientia vero est, aliena mala æquanimiter perpeti, contra eum quoque, qui mala irrogat, nullo dolore morderi, &c. *S. Greg. hom. 35. super c. 21. Luca.* Est etiã patientia custos condicionis nostræ, vt bene probat idem *S. Gregor Pastor. p. 3. admon. 10.*

**Patientia vera est, ferre iniurias innocentem; & suauius est, ferre iniuste illatas, quam iuste.**

7 **PATIENTIA** vera & perfecta est, cum quis sustinet patienter iniurias, non solum cum reus est, sed etiam cum innocens, exemplo Iob, dicentis: Non peccaui, & in amaritudinibus moratur oculus meus. Et, licet intolerabilior sit iniuria innocenti, quã culpabili; tamen multo suauius sufferri potest, & debet iniuria, cum nihil conscientia remordet de culpa aliqua præcedente. *Albertus Magnus in Paradiso anima, c. 4.*

**Ille vere est patiens, qui & aduersis atterritur, & tamen ab spei suæ reatitudine non curuatur: b Nec potest esse vere patiens absq; magna animi virtute.**

**a** *S. Greg. Moral. l. 11. c. 17.* **b** *S. Clemens Alex. Stromatum l. 2.*

**Patienter fert iniuriam, qui proprios defectus considerat.**

**PATIENTER** illatam iniuriam tolerat, qui pie memi-



meminit, quod fortasse adhuc habet, in quo debet ipse tolerari. *S. Bonau. in Phar. l. 2. c. 28. ex S. Gregor.* Patientia enim vera, atq; tranquillitas absque profunda cordis humilitate nec acquiritur, nec tenetur. *Cassianus coll. 18. c. 11.*

## De eodem.

*Cum Sacerdos, n. 26. vt inf. de Humilitate, cum seqq. 10*

Sine ferro Martyr esse poteris, si patientiam in animo veraciter conseruaaueris, &c. Clypeo patientiæ frange sagittas contumeliæ, &c.

*S. Bernardus de modo bene viuendi serm. 40. La- 11*  
*Etianus Firmianus de vero cultu, c. 18.*

## De eodem.

SINE ferro, & flamma Martyres esse possumus, 12  
si patientiam in animo veraciter custodiamus. *S. Gregor. hom. 35. super Ezechielem.*

Maioris est meriti, aduersa patienter tolerare, quam bonis operibus insudare.

*S. Bonau. de processu 6. religionis c. 25. ex S. Gregor. 13*

Armus dexter, & pinguedo pectoris, quæ Sacerdoti de mactatis pecudibus seruabantur, quid noent.

De qualibet mactata pecude lex iubet duas cer- 14  
tas partes Sacerdotibus decidi, armum dextrum, & pectoris pinguedinem. Quarum altera significat requiri in eis fortitudinem in omni actione, ne le-



ne legitima, siue dandum, siue capiendum, siue operandum sit quippiam; altera vero animum placatum, & alienum ab ira postulat. Hanc enim aiunt habitare in pectore, vbi natura collocauit vim irritabilem, ceu militem in praesidio munito, videlicet compage ossium firmissima neruis adstricta validis. *Philo de honoribus Sacerdotum.*

**Finis patientiae non in irascendo iuste, sed in penitus non irascendo consistit.**

- 15 *Cassianus l. 8. c. 20. 21. coll. 16. c. 6. 27. Intellige nomine Ira affectum quendam, qui rationem anteuertit. Alioqui, si ira non fuerit, cum causa subest, nec doctrina proficit, nec iudicia stant, nec crimina compescuntur. S. Chrysost. hom. 11. in Matth.*

**Patientes sint ad omnia Sacerdotes, exemplo Domini.**

- 16 **Si persecutiones veniunt, Sacerdotes mei, non deficiamus, sed patientiam habeamus: si necessitas paupertatis contingat, non desperemus, sed in Domino confidamus: si colaphis caedimur, aliam partem parare non differamus: si blasphemamur, non respondeamus, sed parcamus: si verbo, vel murmure percutiamur, taceamus: si occidimur, gaudenter ad mortem pergamus. Quare? Quia non est seruus maior Domino suo. Si enim me persecuti sunt, & vos persequentur, ait Dominus. Ita enim patientia ornari debemus, si ministri Christi esse optamus. S. August. ad fratres Eremi. serm. 37. S. Isidorus de contemptu mundi, cap. de patientia.**

Sacer.



**Sacerdos ferat patienter iniurias, expectans dulcedinem concordiae mox futurae.**

INIURIIS laceffitus, non solum labia, sed & profunda pectoris sui tranquilla custodiat, &c. Nec praesentem considerans statum ea proferat, quae ad horam turbatus suggerat furor, dictatque animus asperatus; sed vel praeteritae caritatis recolat gratiam, vel reformatae pacis redintegrationem mente perspiciat, eamque velut continuo reuersuram etiam in ipso commotionis tempore contempletur. Dumque se ad dulcedinem seruat concordiae mox futurae, amaritudinem praesentium non sentit iurgiorum, & ea potissimum respondebit, e quibus vel a semetipso reus fieri, vel ab alio reprehendi restituta caritate non possit; sicque adimplebit Propheticum illud eloquium: In ira misericordiae memor eris. *Cassianus coll. 16. c. 26.* *Hab. 3.*

**Patientia vincendae à Sacerdote contumeliae, non vindicandae.**

MAGIS optamus, & cupimus contumelias, & iniurias singulorum clementi patientia vincere, quam Sacerdotali licentia vindicare. *S. Cyprianus l. 3. epistola 9.*

**Tolerandi mali à Sacerdote ut emendentur, non ut fiat eorum malitiae participes.**

PARATYS esse debet Sacerdos iustus, & pius, patienter



tienter eorum malitiam sustinere, quos fieri bonos quærit, vt numerus potius crescat bonorum, non vt pari malitia se quoq; numero addat malorum. *S. August. 23. q. 1. c. eod.*

**Spe futuræ vitæ aduersa mundi toleranda.**

**20** NE indignemini, Sacerdotes, si mundo mali florent, & vos aduersa patimini: quia non est Christianæ religionis, in temporalibus exaltari, sed potius deprimi. Mali enim nihil habent in cælo, & vos nihil habere debetis in terra: sed, spe illius boni, ad quod tenditis, quidquid in via contingit, gaudere debetis. *S. August. serm. de patientia.*

**Facilius tolerantur corporis incommoda quam contumeliæ.**

**21** CIBVM, potum, stratum item molle contemnere, multis ne labori quidem id esse videmus, iis præsertim, qui natura agrestiores per ætatis vigorem ita sunt educati, ac multis etiam aliis: at contumeliam, vim, incommodum, molestum aliquod verbum, tum vero scommata ab inferioribus nonnumquam leuiter, atq; impræmeditate, nonnumquam etiam reddendo iure contorta; præterea & quærelas temere, ac nulla causa tum à Principibus, tum à subditis natas, non multorum est ferre posse, sed vnius tantum, & alterius. Huiusmodi autem ingenio præditi homines ab Episcopatus cancellis, à Sacerdotij claustris procul arcendi sunt.



sunt. *S. Chrysof. de Sacerd. l. 3. S. Augustinus epistola ad Probam.*

Concordia non nisi per patientiam seruatur.

NVMQVAM seruari concordia, nisi per solam patientiam, valet. Crebro namque in humana actione nascitur, vnde mentes hominū vicissim à suauitate, ac dilectione separentur. Et, nisi ad aduersa toleranda se animus præparet, proculdubio humerus corpori non inhæret. *S. Gregor. Moral. l. 21. c. 16.*

Qui tumidus est, tumidum sedare non potest: & vel parua Principum peccata statim manifesta fiunt.

QUI fieri potest, vt illo tumores & inflammationes sedetis, qui ipse tumescit? Quis vero plebeius vir concupiscat statim temperans moderatusque fieri, Principem intuitus iracundum? Neq; enim possunt Episcoporum vitia dissimulari, sed vel parua, atque exigua confestim manifesta fiunt. *S. Chrysof. de Sacerd. l. 3. S. Bonau. de sex alio Seraph. c. 1.*

Si tolerans fueris, semper lætus orabis.

*S. Nilus de oratione c. 21.*

24

Vir patiens omnibus virtutibus exornatur.

PATIENTIA non manet sola, sed multis cum virtutibus coniuncta est. Patiens enim omnibus virtu-

virtu-



virtutibus exornatur : gaudet in rebus aduersis, in calamitatibus probatur, exultat in tentationibus, ad obedientiam promptus, in longanimitate stabilis, in caritate perfectus, maledicentibus benedicit, in bello pace perfruitur, in pace non est dissolutus, &c. Alacer in ieiuniis, frequens in orationibus, diligens in vitæ ratione instituenda, gratus in muneribus suis obeundis, in mutua consuetudine iucundus, in consilio dulcis, in vigilia letus, in hospitem cura studiosus, in ægrotantium ministerio sedulus, velox ad subueniendum, sobrius ad cogitandum, ad omne denique negotium expeditus : ad cuncta enim opera bona est paratissimus. Quare magna cum fiducia ad Dominum ex-  
*Psal. 39.* clamat, dicens : Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi, & exaudiuit preces meas. *S. Ephraëm de virtutibus & vitiis, cap. de Patientia. Vide Inf. p. 3. c. II. Ne sit iracundus.*

## De Humilitate Sacerdotum.

### §. III.

#### SVMMARIVM.

**Q**VI paruulus est in oculis suis, à Deo exaltatur. 1. 12.  
 Qui se humiliat, à Deo liberatur à malis, & exauditur. 2. 3. 4. 5. 6. 9.  
 Quanto quis maior, eo humilior esse debet. 7. 8. 11. 21.  
 Pott.